



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXII. De Mißione Personarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXII.

De Missione Personarum.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Missio & quibus conveniat.

I. Dari in Divinis Personis missio, certum est.



IVINAS Personas mitti, fide certum est: sic enim Joan. 3. v. 17. dicitur, *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Joannis item octavo, vers. 16. dicit Christus, *Ego, & qui misit me Pater.* Ad Gal. 4. vers. 4. *ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* De Spiritu Sancto etiam dicitur Joan. 14. v. 26. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et cap. 15. vers. 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.*

II. Variè variè de naturâ missiois sentitur.

Circa naturam missionis, Magister in 1. dist. 15. refert quosdam existimantes missionem in solâ unius Personæ ab aliâ processione sitam esse. Magister verò ipse ad aliud extremum tendit: Missionem enim Divinæ Personæ in solâ operatione externâ collocat, seu effectus alicujus in creaturâ productione.

III. Ad missionem requiritur & processio, & externa operatio.

Vera tamen sententia est, ad propriam & perfectam missionem, utrumque requiri, nimirum & ut Persona quæ mittitur, procedat à mittente, & insuper ut existat operatio aliqua externa, seu effectus creatus, qui peculiari quodam modo tribuatur Personæ, quæ mittitur.

IV. Offenditur ad missionem requiri processio.

Quoad primum, processionem scilicet Personæ, quæ mittitur, à Personâ mittente: hanc expressè requiri affirmat S. Augustinus lib. 2. de Trinit. c. 5. idque ex eo probat, quod Pater nunquam legatur missus, licet, ut ex eodem S. Augustino notat Magister, sapius in Veteri Testamento apparuerit: Et lib. 4. cap. 20. *Pater, inquit, non dicitur missus, non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat: quod sapius repetit, idemque alii Patres affirmant.* Imò non levis hujus rei probatio ex ipsis Sacris Literis desumitur: Filius enim & Spiritus Sanctus, ut num. 1. vidimus, sæpè in Scripturâ dicuntur missi, Pater verò nunquam. Unde Joan. 14. vers. 23. dum Christus loquitur de totâ Trinitate, non dixit, *Ad eum mittentur, sed Ad eum venimus:* quod indicio est ad missionem requiri processionem. Quare Magister num. 2. citatus, S. Bonaventura, Scotus & alii, dum ad missionem dicunt non requiri, ut Persona missa procedat à mittente, sed posse quamvis ex divinis Personis à quâvis mitti, imò unamquamque mitti posse à seipsâ, vel non loquuntur de missione strictè & propriè dictâ, vel non satis ad mentem & loquendi modum Scripturæ & Patrum.

V. Probatur ad missionem requiri effectum externum.

Quod verò ad missionem requiratur etiam operatio aliqua seu effectus externus, exinde ostenditur: nisi enim aliquid hujusmodi ponatur, non ponitur tota essentia missionis; certum enim est, si Deus nihil omnino ad extra produxisset, nullam futuram fuisse Personæ ullius missionem: ergo

non minùs in hoc effectu externo, Personæ quæ mittitur, peculiariter conveniente, sita est missio, quàm in processione internâ, cum, quocumque ex his ablato, tollatur essentia missionis.

Ratio demum est; missio siquidem egressum quendam denotat ejus qui mittitur, ab illo à quo mittitur: cum ergo in divinis Personis nullus dari possit egressus per motum localem, aut mutationem physicam, recurrendum necessariò ad emanationem, dicendumque egressum hunc fieri per processionem seu productionem Personæ missæ à mittente: quod innui videtur illis Christi verbis Joan. 16. vers. 28. & 30. *Exivi à Patre, & veni in mundum;* unde & paulò post subjunxerunt Discipuli: *In hoc credimus quia à Deo existis;* quæ verba de eternâ Christi processione explicat S. Hilarius lib. 7. de Trin. & S. Thomas.

VI. Missio egressum Personæ missæ denotat ex eo à quo mittitur.

Uterius, cum missio præter productionem, terminum etiam ut dixi denotet ad quem mittitur, & Persona quævis divina per immensitatem sit essentialiter ubique, rei que omni creatæ, ipso facto quod res illa existat necessariò præsens, terminus hic esse nequit locus aliquis aut Persona, cui de novo reddatur præsens, sed esse debet effectus aliquis, ad Personam quæ mittitur, peculiariter pertinens, quæque illam singulari quodam modo representet, & ratione cujus dicatur de novo apparere. In quam rem appositè S. Augustinus lib. 2. de Trin. cap. 5. de Christo loquens: *Missus, inquit, dicitur, in quantum apparuit foris in naturâ corporali.* Hæc tamen juxta jam dicta intelligi debent suppositâ processione, seu productione; sine hac enim, ut ostensum est, essentia missionis non subsistit.

VII. Quem terminum ad extra denotat missio in divinis.

Quando ergo in Scripturâ, Isaïa 48. vers. 16. dicitur Christus missus à Spiritu Sancto, sermo est de Christo ratione humanitatis assumptæ, & per communicationem idiomatum. Eodem modo intelligendus est S. Augustinus, & alii, sicubi dicere videntur Filium misisse seipsum.

VIII. Quo sensu Christus dicitur missus à Spiritu Sancto.

Quamvis etiam effectus ille externus producat ab omnibus tribus Personis, non tamen dicuntur omnes mittere: missio enim, ut ostensum est, præter opus externum, includit processionem, per quam Persona quæ mittitur accipit à mittente voluntatem eundi, quæ processio vocatur missio inchoata, de qua loquitur S. Augustinus lib. 4. de Trin. cap. 20. dum ait: *Non tantum dicitur Filius missus, quia Verbum caro factum est, sed etiam Verbum est missum, ut caro fieret.* Porro missio completè sumptâ est temporalis, cum non nisi posito hoc effectu externo, existat completè.

IX. Personamissam, per processionem accipit voluntatem eundi.

SECTIO SECUNDA.

Reliqua ad missionis intelligentiam necessaria.

I. **M**ISSIO divina Personæ, visibilis alia, alia invisibilis. Visibilis ea est, quæ per effectum nobis aliquem creatum visibilem innotescit, ut cum Verbum in carne, Spiritus Sanctus in specie columbæ, & in linguis igneis apparuit. Invisibilis missio ea dicitur, quæ in effectu creato invisibili perficitur, ut cum per dona interna spiritualia Persona aliqua divina nobis communicatur: Sic ad Galat. 4. v. 6. dicitur, *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem Abba Pater: per quæ Verba, Spiritus Sancti per gratiam missio denotatur.*

II. Dices: per gratiam, non Spiritus Sanctus tantum, sed Pater etiam, imò tota Trinitas in animam venit, eamque inhabitat, juxta illud Joan. 14. v. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* ergo etiam Pater mittetur per gratiam. Negatur tamen consequentia, tum quia, ut rectè S. Thomas hic, quæst. 43. art. 5. Corp. Pater à nullo procedit: ad missionem autem, ut dictum est sectione præcedente, requiritur processio, quam ob causam, ut ibidem diximus, num. 9. tota Trinitas non mittit, licet tota effectum externum producat. Deinde gratia sanctificans peculiari ratione tribuitur Spiritui Sancto, utpotè qui singulari modo censetur amor & bonitas: ergo, &c.

III. Quæres: utrum per solam gratiam habitalem, seu sanctificantem, censetur Spiritus Sanctus mitti invisibiliter? Respondetur affirmativè cum S. Thomas hic, quæst. 43. art. 3. & communi Theologorum sententiâ. Ratio est, Spiritus Sanctus enim, aut alia Persona mittitur, ut inhabitet, & in nobis permaneat: hoc autem fit per solam gratiam sanctificantem: aliæ enim gratiæ, cum secum in animâ patiantur peccatum mortale, non reddunt Spiritum Sanctum inhabitantem.

IV. Hæc quidem vera sunt de missione simpliciter; Cajetanus namque, ut Persona aliqua divina invisibiliter mittatur, sufficere ait si fidem, aut aliud simile donum infundat: quod S. Bonaventura, Durandus, & Vasquez verum esse dicunt de missione secundum quid. Idem etiam existimat P. Arriaga hic, Disp. 55. sect. 4. num. 13. de Missione incompletâ. Addit sect. quintâ posse Spiritum Sanctum invisibiliter ad aliquem mitti sine ullâ omninò mutatione physicâ, sed cum sola mutatione morali: cum enim, ut supra diximus, Disp. 36. dari possit actus liber Dei merè internus, seu sine ullo connotato extrinseco, potest Deus hominem in purâ naturâ amare, tunc autem nihil in eo physicum operaretur, sed tota mutatio esset moralis, nam hic homo, quamvis nihil in eo physicum efficeret

Deus, meliore tamen loco esset, quàm alii quos Deus hoc modo non amaret.

Quæres secundo: possint Filius mitti sine Spiritu Sancto, & econtrâ? Sermo est de missione invisibili: visibiliter enim missus est Filius per Incarnationem, non Spiritus Sanctus; in columbæ item specie, linguis igneis, &c. Spiritus Sanctus missus est, non Filius. Quoad missionem ergo invisibilem, si sermo sit de missione inchoatâ & imperfectâ, potest una Persona mitti sine aliâ: unde S. Thomas prima parte, quæst. 43. art. 5. ait Filium peculiariter mitti per dona intellectualia, fidem scilicet & similia. Si verò loquamur de missione invisibili perfectâ, quæ ut diximus, fit per gratiam habitalem, mitti nequit Spiritus Sanctus sine Filio, nec econtrâ: nisi quis dicat hanc gratiam peculiariter referre Spiritum Sanctum, qui speciali modo vocari solet nostra sanctificatio.

Quando autem dicimus mitti invisibiliter ad animam, Personam aliquam divinam, sensus est, non tantum dari dona gratiæ creata, sed ipsam in creatam Personam missæ hypostasim, juxta illud Joan. 14. vers. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et Epist. B. Joan. cap. 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Præter præsentiam autem, quam essentialiter qualibet Persona divina habet per immensitatem, dicitur peculiariter esse in amicis per protectionem & providentiam, ac speciale quàm de illis gerit curam: quod significat Christus Matth. ultimò, vers. ultimò, illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Mittitur proinde Spiritus Sanctus invisibiliter ad omnes justos, primò justificationis instanti, imò & quoties novum gratiæ augmentum, vel per Sacramenta, vel alio modo accipiunt: maximè verò inquit S. Thomas articulo 6. quando quis ad novum gratiæ statum, ut ad martyrium, aut religiosam vitam amplectendam provchitur. Ad Beatos autem non videtur propriè mitti, nisi in primo beatitudinis instanti, cum postquam semel cælesti gloriâ fruuntur, nulla in iis beatitudinis essentialis fiat accessio.

Hic noto, quamvis Deus dicatur inhabitare & sanctificare templa, &c. cum tamen hæc semper faciat intuitu hominum, non ad res irracionales mitti dicendus est, sed per illas ad rationales. Si tamen naturam irracionalem assumeret Persona aliqua divina, ad eam mitteretur.

Ultimò adverto, probabilius videri signa, quibus Deus se in Vetere Testamento ostendit, non à Deo immediatè, sed Angelorum ministerio esse facta. Multo verò certius est contra Tertullianum lib. de carne Christi, cap. 3. res illas, in quibus Deus tunc apparuisse dicitur, non fuisse hypostaticè assumptas; hoc enim soli Christi Domini humanitati competit, nec ulli alii rei fuit concessum.

V. *Mitti Filius potest sine Spiritu Sancto, & econtrâ.*

VI. *Non dona gratiæ tantum, sed ipsa creatam Personam missæ, ut eum in Deo.*

VII. *Quandis ad justos mitti debet, ut per Sacramenta, vel alio modo accipiunt.*

VIII. *Divina Personam mitti dicendus est, sed per illas ad rationales.*

IX. *Signa in Vetere Testamento, quibus Deus se ostendit, non à Deo immediatè, sed Angelorum ministerio esse facta.*

Missio, visibilis alia, alia invisibilis.

Per gratiam tota Trinitas venit in animam nõ tamen tota mittitur.

Per solam gratiã sanctificantem censetur mitti Spiritus Sanctus invisibiliter.

Per alia dona tantum mittitur Persona secundum quid.

Missio possit Spiritus Sanctus sine ullâ mutatione physicâ.

